



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Otium fugiendi motiva. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XIII. OSCULA.

Fovea profunda os aliena. Prov. 22. 14. Qui verba, vel oscula, meretricis libenter amplectitur; quasi januam jam gehennalis pulsât abyssi: citoque mergetur; si pedem cautus non retrahit. V. Beda lib. 2. hic.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Nota: osculum est Symbolum 1. reconciliationis: cum enim quis alium offendit, reconciliatur ei per osculum: sicut pater reconciliatus est filio prodigo. Luc. 15. 20. 2. pacis, & concordia. 3. Salutationis, & bonæ appreciationis. 4. Amoris & intimæ conjunctionis. Omnibus hæc de causis Ecclesia, & anima Fidelis, poseit osculum Christi. Cornelius hic.

Venerus quidam nobilis, morti Parisijs adjudicatus, impetravit, ut fratribus suis ultimum vale dicere liceret. Introentes illos scrutati sunt custodes curiosè, nè qua, ad fratrem dedecori, & ignominiosæ morti subtrahendum, arma, vel venenum, inferrent. Verùm eorum unus nucem avellanam, præsentissimi veneni plenam, caraque obturam, in ore deferebat: quam inter amplexus, & oscula, fratris ori inseruit: qui paulò post eâ dentibus comminutâ, ac haustò venenò, interijt. Ejus tamen testulæ fragmina in ore mortui deprehensâ dolum prodidit. Quare mortui cadaver in rotam tractum, & fratriciadæ ad necem qualiti. Doultreman de an. l. 2. c. 3. sect. 3.

TITULUS XIV. OTIUM.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. Ex. 4. 6. Tertull. de resurr. carnis c. 28. Moyses manum in sinum condidit, & emortuam profert. Mira lectio Tertulliani. quid lepræ cum morte? ideo manus existimatur mortua; quia in sinum reconditur, ut ibi quiescat, & otietur. Manus ad opus conceditur à natura: ergo, dum otio vacat in sinu; velut in sepulchro sepelitur. Caltillo Illat. 39. otiosè vivere non est vita.

Et sabbathizavit populus &c. Ex. 16. 30. Sabbathizante Israele cælum non pluebat manna. Quin & aqua putrescit immobilis, & immotus ensis rubigine sordescit, pes quietus obtupescit, & vestem depositam dirus tineæ dens corrodit. Cornelius in Eccl. 22. 2.

Stultus complicavit manus suas, & comedit carnes suas. Eccl. 4. 5. Manus homini datæ sunt, ut illis opportuna sibi, & convenientia, operetur. Otiosus itaque cessator, manus clausas, & complicatas tenens, cum subinde pœnitentiâ tangitur, ac dolore tabescit, dicitur meritò carnes proprias devorare. Olympiodorus hic.

Invenit eam vacantem. Matth. 12. 44. Rabanus: invenit diabolus hominem vacantem in bonis per negligentiam, & otiositatem. apud Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 3. sect. 2. obf. 2.

Nihil inutilius fuerit homine, qui omne tempus in delicijs, & remissione, consumit. Rubigo quædam apprehendit otiosam animam, & consumit splendorem, ac alia omnia. Quamnam re detergetur rubigo illa? core tribulationum: illa utilem animam facient; & ad omnia accommodam. S. Chrysof. hom. 35. in Acta.

Homo otiosus, inutilis, nasci non debuerat. Frustrâ natus est; lapis marmoreus est, truncus arboris; ficus sine flore, & sine fructu; solum aptus ad ignem. Avis, quamdiu volat, secura est; si sedet, & quiescit, sagittariorum insidiantium sagittâ perfoditur. S. Thom. Vill. D. Septuages.

Horologium. Lem: *Ipsa quies vitium est.*

Aqua Lem: *servatur motu.* S. Laur. Just. l. 1. de perfect. gr. c. 9. sicut aqua, quæ caret decursu, aut jacet in foveis; putrescit, repleturque animalibus venenatis, & noxijs: ita & corpus, otij labe confectum, concupiscentiarum carnalium parit insaniam. Picinelli.

Argentum. Lem: *Quiescendo nigrescit.* Id.

§. II.

Otium fugiendi motiva.

Ex Veteri.

Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur. Gen. 2. 15. Cum omnibus delicijs

licij potirentur (proparentes) ibi vitam agentes; ut ne immodicâ prosperitate homo insoleceret (omnem enim malitiam docuit otium) propterea præcepit Deus, ut operaretur illum, & custodiret. S. Chryst. tom. 1. hom. 14. in Gen. hic. Eva in paradiso decipitur. Gen. 3. 6. Vagatur otiosa; &, quæ extra paradisum, prospectat in cauta. Naxera in Jos. 13. §. 20.

Festinabat Abraham in tabernaculum &c. Gen. 18. 6. In domo iusti nemo otiosus est. S. Carolus Borromæus, cum amplam haberet familiam; ita cuique per totum diem suas particibat operas, easque utiles, ac pias; ut nemo nec quadrantem horæ per diem haberet liberum, & non occupatum. Hac de causâ ejus familia tota erat quieta, ordinata, sancta. Cornelius hic.

Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel. &c. Ex. 17. 11. Moyses tacendo loquebatur, & otiosus operabatur: sedens in otio dimicabat, & triumphabat. Erat tam otiosus; ut alii manus ejus sustinerent: & tam occupatus; ut manibus otiosis vinceret. Crudelius bellum inferebat Amalecitis confidendo, quam alij Israelitæ in campo manus conferendo. Stella de van. Mundi p. 3. c. 61.

Factum est, cum perfecisset Salomon adificium domus Domini, apparuit ei Dominus secundo. 3. Reg. 9. 1. 2. Quis nescit, re-ctè, ac sanctè Salomonem habuisse, fide cultâ, Religione servatâ, cum instaret templo adificando, & regiam conderet? *Apparet ei Dominus secundo*, dein multa ei promittit; nec reum agit, vel noxæ modicæ. Vacat otio ib. c. 11. v. 4. *depravatum est cor ejus per mulieres.* Velloso in Judith. 3. Paræ. 16.

Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est. Reov. 14. 4. Hebr. *mundum est.* hoc est, ait Vatablus: qui laborat, habet, quod manducet: qui autem otium sectatur, egestatem habet in domo. Bos Symbolum laboris: unde Veteres, teste Pieriô, volentes laborem pingere, pingebant caput bovis. Cornelius hic.

Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fufum. Prov. 31. 19. Quid fortitudini cum fuso, & colo? imò de ignavo dicimus; ô strenuum virum! afferite colum, & fufum, ut neat. At verò mulier hæc cum de fortitudine laudatur, fufum apprehendisse dicitur: Quis dubitet, eleganter, & aptè, utpote à Spiritu S. fuisse dictum? Nam id, in quo plerumque se foemina solent exercere; est, nere, texere, acu pingere. Cum ergo hic quaeritur, quæ erit mulier contra dæmonis insidias fortissima? & cujus dextera plurimas comparabit victorias? respondetur: non illa erit, quæ otiosa, iners, & fenestram amica est; sed illa, cujus *digiti appre-*

henderunt fufum: illa, inquam, quæ in sanctis exercitijs, & bonis operibus continuo occupatur. Diez. c. 1. D. 4. Pasch.

Nigra sum, sed formosa: quia decoloravit me sol. Cant. 1. 4. Formosam se asserit, cum à sole exurit? Certè tunc decoratur animus; cum corpus, otio ablegatò, operi incumbit; velut Jacob, qui die æstu urebatur. Gen. 31. 40. Escobar t. 6. Parab. Chr. 1. 9. sect. 4. obl. 4.

Non nocuerunt mihi. Dan. 6. 22. 3. Reg. 13. 24. 28. invenit Prophetam alium leo in via, & occidit. Uterque propheta, uterque justus. Discrimen: Daniel orans, & jejunans; alter in via sedet otiosus, & mensâ lautâ epulatus. Naxera in Jos. 13. §. 20.

Præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam. Jon. 2. 1. & devoravit eum. *Et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum.* Tob. 6. 2. non tamen devoravit. Discrimen reddit S. Zeno Veron. s. de Jona: stertebat in navi. Tobias clamat, & orat. Vacas ab oratione? deses, ignavus es? brutum passionis te deglutiet. Naxera in Jos. 13. §. 20.

EX NOVO.

Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant neque nent. Matth. 6. 28. S. Chryst. legit: non seminant, neque nent; & ait: dicendo, non seminant, viros confortat: dicendo autem, neque nent, mulieres: quoniam virorum vita seminationibus, mulierum lanificio, sustentatur. Did. Nis. D. 20. Pent. §. 1.

Quod acceptum mulier &c. Matth. 13. 33. Si vir granum sinapis curæ serendi dat operam; foemina interim fermento impendit studium. S. Chryst. l. 99. vir in agro sinapis arborem serit; domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniam. Quia virum foris expectat labor; intus mulierem domestica cura constringit. An quia Deus indixit Adamo, *in sudore vultus tui vesceris pane.* Gen. 3. 19. putas foemina nullum indixisse laborem? Si vir serit, si metit; foemina triticum actum in farinam fermento admiscet; ut panes faciat viro laboranti. Escobar t. 6. Parab. Chr. 1. 7. sect. 2. obl. 2. hic.

Quid hic statis totâ die otiosi? Matth. 20. 6. In quo ostenditur, quod vitium otiositatis est contra terrenam habitationem. Sicut si in optimo horto hertulanus sustineret arborem aliquam infructuosam, diceretur sibi à Domino, ut quid terram occupas? sic in optimo horto Ecclesiæ plantantur homines, velut arbores, in Baptismo; quas Christus rigat sanguine proprio. S. Vinc. Ferr. l. 7. D. Septuag.

Liga-

Ligatis manibus, & pedibus &c. Matth. 22. 13. Cur manus vinculantur, quarum nullum crimen apparet? quia otio torpentem vestem componi non aptarunt. Cyrillus in procatecheti: jubet ministris, ligate pedes illius confidenter intrantes; ligate & manus ipsius, quae splendido illum necierunt ornare vestitu. *Eccē mna tua, quam habui depositam in sudario.* Luc. 19. 20. Naxera in Jos. 8. §. 9.

Nolite solliciti esse, - quid manducetis. Luc. 12. 22. Theophylactus hic: non dixit Dominus: nolite laborare; sed potius, nolite solliciti esse. Nec enim poterat laborem interdiceret; qui nec etiam in paradiso hominem otiosum passus est. Escobar t. 6. Parab. Chr. 1. 9. sect. 4. obf. 4.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 8. Paralyticus corpore, & animo sanatus à Domino: praescribens rationem salutis animae conservandae ait: *tolle &c.* Jacueras otio torporis; jam noli lecto otiosus addici. Euseb. Emis.

Surge &c. id est, non sis otiosus: otiositas enim animae inimica est; quae & vitia nutrit, & virtutes necat. Escobar ibid.

Mulier illa Apoc. 12. 1. 14. dum micantius resplendet, acris diaconis invidiam exauit. Mulier clamat afflictatur; assumptisque aquilae plumis ad desertum tendit. Verte modo oculos ad Babylonicam, aurō, gemmisque, resurgentem, otio deditam. Apoc. 17. 3. *vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam.* Utra tibi videtur felicitior? Babylonica forsan? sed faberis: plus huic à desidia timendum. Illa periculi metu assumit alas, & alae, victo dracone, peperere victoriam; haec, dum torpet, flammis immortalibus perit. Naxera in Jos. 13. §. 27.

Ex Patribus, & aliis.

Omnium vitiorum, quasi magistra quae-

dam, atque origo, est otiositas. S. Chrysohom. 36. in Matth. c. 10.

Da mihi hominem, qui pinguescit, & laboribus caret, ac jacet, nihilque laborat, sanum; sed non invenies. Nam licet sexcentorum Medicorum turba adveniat; à morbis illum nequaquam liberare poterunt: neque enim hoc natura finit. Id. hom. 16. in Acta.

Nihil est, quod adeo sit inconcinnum, & alienum à Christiano; atque requiem, & recreationem, querere: & ad praesentem vitam nimium affici, alienum est à professione, & militia nostra. Dominus tuus crucifixus est; & tu requiem quæris? Dominus tuus affixus est; & tu deliciaris? haecine sunt militis generosi? Id. hom. 13. in ep. ad Philipp. c. 3.

Quid est otium? nisi perditio irrevocabilis horae, effusio vitae, retrogradatio proficientis. S. Cyrill. l. 1. Apol. mor. c. 14.

Egyptiorum monasteria hunc morem tenent; ut nullum absque operis labore suscipiant; non tam propter vitae necessitatem, quam propter animi salutem. S. Hieron. ep. ad Rulticum.

Vagatio, quadam mentis est alienatio; & otium tempestas est cordis. S. Cyrill. Apolog. mor. apud Corderium ex antiquo MS. codice.

Nihil stultius, quam in praesenti vita, ubi homo debet sibi operari, ut in aeternitate vivat, in otio vivere. S. Thom. Dom. Septuag.

Haec est apud Egyptum ab antiquis Patribus sancita sententia operantem Monachum daemone uno pulsari, otium verò innumeris spiritibus devastari. Joan. Cassianus de cenob. instit. l. 10. c. 23.

Otium, & deliciae, praedones sunt castitatis. Thom. Kemp. f. 4. ad fratres.

